



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 23. De Cardinalibus habetur quæstio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Mercurii 1 Febr. duce Montis Cassini
Præsule Cancellario suo copias Nuceriam
versus misit: quæ circumjacentes vasta-
re pagos, & Urbani sectatores, quotquot
poterant, comprehendere cœperunt.

Sæcul. XIV.
A. C. 1385.

Th. Niem.
c. 54.

Proximo die Veneris urbem oppugna-
bant; ac die lunæ 6 Febr. captam incen-
debant: tum arcem, cui Papa se incluse-
rat, obsidione cinxerunt, quæ septem
mensibus durabat. Convocatum interim
Neapolis Clerum rogavit, an interdicti
ratio habenda esset? Post longam deli-
berationem Clerus respondit, interdictum
non esse legitimum, ac ideo negligendum.
Ergo Rex Clerum sacris operari jussit
proposita, si non pareret, pœna carceris,
ac sectionis bonorum omnium. Pauci se
submovebant: multi, præsertim ex Re-
ligiosis Regi quam Papæ malebant mo-
rem gerere. Multi etiam e numero Præ-
sulum de studio erga Papam suspecti tor-
quebantur: quidam mergebantur in pe-
lagus: plurimi diu in carceribus hære-
bant.

Rayn. n. 3.
ex Gobel.

Th. Niem.
c. 49.

§. XXIII.

De Cardinalibus habetur quæstio.

Paulo post captos Cardinales Papa Theo-
doricum Niemium accersit: & ut pri-
mum is advenerat, ille claudendas arcis
portas curavit: quæ res Niemium vehe-
menter

Sæcul. XIV.
A. C. 1285.

Th. Niern.
6. 45.

menter terruit; sed confirmavit amicorum quidam. Tum venere Petrus Alacrus Papæ a Secretis; Basilius Levantus notissimus pirata Genuensis; Paulus Juvenacinus Apulus, postea Notarius Apostolicus; Benedictus Juris Pontificii Doctor celebris, deinde Papæ a Cubiculis; & honorarius quidam Episcopus ex Ordine Prædicatorum Basili cognatus. Hi quæstionem de captivis habere iussi intrabant munitissimum arcis propugnaculum; quod pro Batillo tuebatur quidam Eques Neapolitanus. Initio accedebant ad locum Cardinalis Sangri tam angustum, ut vix pedes ibi suos extendere posset. Batillus Papæ nepos illos comitans hortabatur reos, ut libere iis dicerent causas captivitatis suæ: quantumvis fontibus parfurum Papam, idque ut faceret, se ipsum ei authorem fore.

Cognitores singula Cardinalium captivorum cubicula adeuntes cernebant catenis vinctos, ac jurejurando adstringebant generatim, ut vera dicerent: nec enim Papa exponere illis voluerat ea, quæ potissimum deberent perquirere. Cum singulos seorsum interrogassent, redibant protinus ad Papam: cui Niernius indicabat audita omnia. Paulus Juvenacinus, ac Petrus Alacrus stantes ad extremum Papæ lectum amaris præ lacrymis ne verbum quidem proferre poterant. Qui-
bus

bus succensens Papa: Cur instar mulie-
 rum fletis? Mox abeuntibus illis solus
 cum Papa remanens Niemius vix aude-
 bat loqui: suadebat tamen, ut Curiam
 suam transferret in locum tutiorem, &
 magis idoneum, reisque Cardinalibus par-
 ceret. At quo plura dicebat, eo acrior
 Papæ ira inflammabat vultum, & obtun-
 debat vocem.

Stupefacto Niemio, & aliquamdiu ta-
 centi Papa aiebat: Quid contra me fiat,
 haud cognovisti satis: sed mox videbis
 clarius. Accitum continuo sui nepotis
 scribam sibi tradere iussit confessionem
 Aquilensis Episcopi, qui pridie hac de
 causa in equuleo tortus atrociter, & ob
 vim doloris plusquam alii fassus quosdam
 e captivis Cardinalibus esse conscios di-
 xerat. Lecta hujus Præfulis confessione
 Niemius etsi trepidans inquiebat: Ista
 confessio captivis non esse fraudi debet:
 cum aliqui hoc in statu interdum contra
 se ipsos mentiantur tormentorum metu.
 Sed Papam nihilo mitiorem reddidit.

Interim Neapoli versantes Reatinus
 & quatuor alii Cardinales cum Rege Ca-
 rolo votis omnibus expetebant captivo-
 rum libertatem: at Urbanus mansit in-
 exorabilis. Ejus curia in dies minueba-
 tur, cum hujus membra Neapolim trans-
 fugerent, quamvis prædones complerent
 vias. Medio Februario, quo Bacchana-
 lia

Sæcul. XIV.
 A. C. 1385.

c. 46.

c. 50.

lia

Sæcul. XIV. lia agitabantur, Urbano Raymundus Bel-
 A. C. 1385. fianus petitem adduxit subsidium. Erat

6. 44.

Comitis Nolani filius e familia Ursinorum, in Apulia potens, antea secutus partes Ludovici Andegaviæ Ducis, cujus extincti exercitus se illi addixerat. Cum igitur Raymundus Nuceriam una cum copiis suis advenisset, eo præsentem Papa senatum habebat publicum: quo deductis Cardinalibus captivis veniam sponndit, si suum faterentur crimen: sed quia nihilominus se dicebant infontes, in suos carceres remissi sunt: ubi permanebant usque ad octavam Augusti, qua Urbanus Nuceriam reliquit. Magna ibi miseria premebantur, fame, siti, frigore, ac pediculis confecti.

6. 51.

Papa, quia iterum eos subdicere quæstioni decreverat, eosdem accivit Cognitores: primusque adductus est Cardinalis Sangrus devinctis ferro pedibus, Exutum vestibis præterquam interiore subligaculo, & subucula, dein arctissime afrietum funibus, ac ope trochleæ ter sublatum alte, ter impetu magno per aërem demittebant tortores. Batillus haud procul absens effuse ridebat: sed Niemi ad Cardinalem, quem amabat, suppressa voce, Charissime Pater! ajebat, an non vides tuam vitam appeti? per Deum oro: dic aliquid, ac te de manibus hominum istorum eripe! Reponebat: Nescio, quid dicam.

dicam. Tum ille ad tortores: Desinite! Sæcul. XIV.
A. C. 1385.
jam dixit fatis mihi: sed scribere id prius volo, quam referam. Cardinalis, Hanc mihi ærumnam, inquebat, Divina reservabat justitia: Legatum hoc in regno agens nec Episcopis, nec Abbatibus, immo nemini parcebam, ita me Papæ placere ratus.

Eodem die Urbanus Basilium Levantum præcipuum suæ voluntatis in hac inquisitione ministrum accersit. Erat prævæ indolis homo, inimicus Cleri, atrox, & raptò vivere assuetus in piratica, quam fecerat diu: verum ad incitas redactus Papæ Urbano se addixerat: qui eum induxit in Ordinem Rhodiorum Equitum, non pietatis causa, sed ut in Sicilia prioratum ei aliquem compararet. Accito, inquam, Basilio Papa præcepit, ut postridie Cardinalem Venetum Ludovicum Donatum torqueret, & addidit: Sic age, ut ejus clamores audiam! Parat Basilius; & postero die Cognitores accersit: Cardinalis Venetus ductus in oecum propugnaculi, privatus vestibibus, funibus constrictus, tractus in altum, ac dejectus fuit. Erat exacta ætate, valetudine incommoda, & tenui corporis habitudine; atque a mane usque ad horam prandii sic excruciabatur, inter quemlibet funis ductum inquiring: *Christus passus est pro nobis, ac reliqua.* 1. Petr. 2. 21. Interim Urbanus infra per hortum
Hist. Eccles. Tom. XXIV. C c tum

c. 52.

Secul. XIV. tum deambulans Divinum officium ma-
A. C. 1385. gna voce recitabat, qua monitus Basi-
 lius mandatum fideliter ageret. At Nie-
 mius tantæ crudelitati diutius spectandæ
 impar simulato dolore capitis suam repe-
 tiit domum. Cæteri quoque Cardinales
 rapti sunt ad quæstionem.

Vita to. 2. Die Mercurii 10 Maji Regis Caroli co-
p. 982. piis præco post tubæ sonitum promulga-
 vit, eum, qui Papam captum, vel aliter,
 quam naturali extinctum morte tradide-
 rit, mox accepturum decies mille flore-
 nos aureos; & quisquis ejus fugam
 publicam vel occultam noctu diuve adju-
 verit, in numero rebellium, hostiumque
 Regis habitum iri.

Hæc. Pign.
ap. Rayn.
n. 3.

n. 6.

Urbanus vero quotidie ter, quaterve
 cum face ac tintinnabulo stans ad fene-
 stram hostilem exercitum detestatione sa-
 cra devinciebat: eodemque tempore con-
 didit hujusmodi sanctionem: Si accidat
 deinceps, ut Papa oppugnetur, vel capia-
 tur; quotquot ejus locum intra decem
 dierum spatium circumcolent, Christiani
 tenebuntur militari opera, vel per bona
 sua pro viribus ei opitulari: & qui facient,
 consequentur eandem indulgentiam, ac
 si contra ethnicos in terram sacram irent.
 Declaravit etiam Calendis Maji, Clericos,
 qui arcis Nuceriae oppugnatores ali-
 quos perimerent, aut mutilarent, ad ob-
 eunda sacra munia non inhabiles fore.

Inte-

Interim Neapoli agebant quinque Cardinales, Pilus Pratinus Episcopus Tusculanus, tres Presbyteri, Lucas Gentilius de S. Sixto, Poncellus Urfinus de S. Clemente, Bartholomæus Mezzavaccius de Sancto Marcello, & Landulfus Maramaurius Diaconus de S. Nicolao. Hi dabant ad Clerum Romanum epistolam, cujus hæc erat summa: Insolentia, & mores detestabiles Papæ Urbani non postrema fuere causa schismatis scindentis Ecclesiam. Contra sententiam nostram reliquit Romam, ut Neapolim veniret: estque ingenio tam obstinato, & intractabili, ut videatur furiosus. Sex Cardinales (epistola cunctos nominat) innocentes, abundantes consilio, ac eximia virtute præditos, sibi suum agendi modum rationi haud consentaneum exponere charitatis causa, & consiliis, quæ perperam susceperat, obsistere ausos falsis sub obtentibus comprehendi (quod cunctis seculis prioribus inauditum) in carceres compingi, & atrociter torqueri iussit. Præterea quosdam potentes antea schismatis, ac hæresis iuste a se condemnatos accersit; his Ecclesiæ thesauros, quin etiam vasa sacra dispertiit; seque ipsum concredidit. Denique sæpius a nobis aliisque monitus, ut se corrigeret, ac schisma finiret, id potius augere studet: quod eum in fide suspectum facit.

Cc 2

Ita-

Sæcul. XIV.

A. C. 1385.

Vitæ to. 2.

Sæcul. XIV.

A. C. 1385.

Itaque cum inemendabilem ferre diutius salvo officio haud possemus, excusso jugo multos Præsules, Theologiæ Doctores, & alios Romanæ Curiae Viros præstantes Clericos, laicosque congregavimus, & inter omnes convenit, dicto Urbano minime præstandam a Christianis amplius obedientiam, sed opponendas vires nostras omnes, concordiamque, & correctionem Ecclesiæ sedulo curandam esse. Hoc fine cum quibusdam nostrorum Collegarum Cardinalium modo absentium brevi petere Romam, & ibi vobiscum, atque Romano cum populo supra memorata omnia modis idoneis perficere volumus. Adhæc statuimus Præsules, Reges, Principes, ac populos per litteras efflictim orare, ut Legatos Romam quamprimum mittant: ubi tunc adesse, ac residere assidue cogitamus, ut de Legatorum, vestroque consilio Ecclesiam a periculis, quibus exposita est, tutari seu per generale concilium, seu aliter queamus. Conclusionem hujus epistolæ non habemus.

§. XXIV.

Novi Cardinales Clementini.

Demortuis nuper admodum quibusdam Cardinalibus suis Clemens 12 Julii an. 1385 novos creavit octo. Primus erat
Joan-